MASTER NEGATIVE NO. 92-81092-12

AUTHOR:

OETLING, WILHELM

TITLE:

LIBRORUM MANUSCRIPTORUM

PLACE:

HAMELN

DATE:

1872

Master Negative #

92-81092-12

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Oetling, Wilhelm,
...Librorum manuscriptorum, qui Ciceronis orationem pro L. Flacco continent, qualis sit condicio, demonstratur, von Dr. W. Oetling... Hameln, Riemeyer, 1872.
25 p. 28½ cm.

At head of title: Programm des Gymnasiums zu Hameln...

Re

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35
REDUCTION RATIO: 11½x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 2-10-93
INITIALS Susan
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Programm

des

Gymnasiums zu Hameln

für das

Schuljahr von Ostern 1871 bis 1872.

Inhalt:

Hameln 1872.
Buchdruckerei von C. W. Niemeyer.

Librorum manuscriptorum, qui Ciceronis orationem pro L. Flacco continent, qualis sit condicio, demonstratur.

Librorum manuscriptorum, qui Ciceronis orationem pro L. Flacco continent, qualis sit condicio, demonstratur.

Quamquam virorum summorum, qui Ciceronis orationes ediderunt, cura et industria satis constat, quibus codicibus aliisque subsidiis criticis oratio pro L. Valerio Flacco habita nitatur, tamen nobis operae pretium esse visum est denuo lectiones varias illorum librorum in editione Orelliana II enotatas investigare, ut quam emendatissime oratio illa restituatur. Neque enim adhuc homines doctissimi accurate exposuerunt, qualis sit horum codicum ratio et condicio, quam cognoscere ad verum verborum ordinem inveniendum magnopere interest.

In maxima orationis parte inprimis utendum est codicibus Salisburgensi aulico n. 34 (Baiteri S) et Bernensi n. 254 (Baiteri T), quos non alterum ex altero manasse jam demonstratum est. Cf. quae Jordanus disputavit in commentatione programmatis Gymn. Soest. 1868, quae inscripta est „Annotationes criticae in orationem Ciceronis pro Flacco" p. 1. Sed addendus est codex vetus (P), ex quo Torrentius pauca ad marginem editionis Manutianae exscripsit, nonnullae lectiones, quas Niebuhrius ex quindecim codicibus Lagomarsinianis excerpsit, codices sex Oxonienses, aliquot editiones veteres, quae librorum manuscriptorum locum tenent. Hi vero omnes codices quomodo comparati sint, intellegimus, si lemmata scholiastae Bobbiensis (B) et antiquum codicem Vaticanum (V), qui §§ 39—54 continet, comparamus. Praeterea etiam ex eis, quae rhetores, grammatici, alii scriptores veteres ex oratione attulerunt, fructus quidam capi potest. Parvae vero orationis partis (§§ 75—83) adhuc unicus fons est editio Cratandrina, cujus lectiones cum paucis lemmatis scholiastae Bobb. conferri possunt. Denique nonnulla ex eis, quae in codicibis amissa sunt, nobis conservantur fragmento Mediolanensi, quod Ang. Majus edidit (Baiteri C).

Itaque quum ad verborum ordinem restituendum summa gravitate sint codices S et T, primum eis subsidiis criticis operam navemus, quibus comparandis adjuvamur, ut conditionem horum codicnm cognoscamus. Inter quae summum locum tenet codex antiquissimus Vaticanus, de quo cf. quae Baiterus in editione Orelliana II ante Valerianam et Pisonianam et Philippicas scripsit et Deyks in commentatione Monasterii Guestphalorum 1844 edita disputavit. Hoc in

libro Vaticano plures manus distinguendae sunt, sed recentior manus, quae raro tantum invenitur, non praebet nisi scripturas nullius ponderis, ut § 41 „possas" pro „posset", itaque omnino neglegenda est. Si vero ea, quae prima manu exarata sunt, cum verbis codicum S et T comparamus, primum haud paucas corruptelas minoris et majoris momenti invenimus, quae in utroque fonte exstant; ex quibus hae afferantur:

§ 50 „judice habitet" pro „judice abiit et"; § 52 „Pythodoria et idem iepisoni", pro quibus vocibus Baiterus probabiliter scripsit „Pythodori, Aetidemi, Epigoni"; eadem § „aperte" pro „a patre". § 51 V S (in T §§ 48—52 non exstant) omittunt „tunc", quod vocabulum in B repertum Ciceronis esse vix negari potest propter illud quod sequitur „semper"; § 52 eidem scholiastae soli debetur „publicam" (cf. Ravii var. lect. I p. 192); § 51 in V S non invenitur „nondum", quam vocem nexu sententiarum necessario flagitatam Faërnus addidit; eadem § contra insunt in V S voces „tu testem", quas in B repudiatas jure Kayserus deleri vult (cf. Jordan, p. 5); neque dubitamus, quin idem vir doctissimus § 41 verba codicum VSTB „ac dicto testimonio" ab interprete quodam, ut voces „aculeo jám emisso" explicaret, addita esse recte judicaverit; denique § 48 contra auctoritatem et V et S verba, quae sunt „veterem amicum atque hospitem meum" poni oportet post verba „splendidissimum atque ornatissimum civitatis suae" (cf. Jordanum p. 8).

Qui omnes loci ita comparati sunt, ut codices S T cum V cohaerere putandi sint. Quomodo vero cohaereant, ut cognoscamus, jam ceterarum corruptelarum ratio explicanda est. Ubi enim V ab S T differt, ibi verba horum codicum recentiorum raro errore librarii, plerumque emendandi, interpretandi, interpolandi studio nata esse videntur. Sic errore librariorum, qui S et T vel eorum archetypum conscripserunt, factum est, ut §§ 46, 47, 48 nomen Fufiorum in V recte traditum in S T mutaretur in nomen Fusiorum, ut § 43, ubi V praebet „damnatus est bona" cum pulchro asyndeto, in S T legatur „damnatus est et bona", quam lectionem Baiterus injuria recepit, ut §§ 41, 43, 44, 45 (cf. apparatum criticum) verba Ciceronis pejus collocata sint in S T, quam in V, et similia. Atque eadem causa subest quod §§ 41, 44, 51, 53 in S T singula verba omissa sunt, quae in V recte inveniuntur tradita. Huc pertinet etiam § 52, ubi Kayserus voces „studia et", quas V solus exhibet, auctoritate codicum S T inclusit. Sed causam idoneam, cur in eis offendamus, invenire nequimus, cf. ad fam. 10, 1, 3 „omne nostrum consilium, studium, officium conferre etc." et pro Arch. C. 9 init. „cum omne olim studium atque omne ingenium contulerit Archias ad populi Romani gloriam etc.; itaque similiter ac ceteris locis codicis V antiquissimi auctoritati obtemperemus. Locorum vero, quibus emendandi et interpretandi studium in S T cognoscitur, hos afferamus:

§ 40 S T addunt „me", vocem supervacaneam. § 40 V recte „iste nescio qui", S T „ille nescio quis". Qui locus in numero eorum habendus est permultorum, ubi librarii codicum recentiorum aut pronomen „iste" optime explicabile respuerunt atque aliud substituerunt (cf. etiam § 54 V bene „istius", S T „ipsius") aut pronomen interrogativum, quod est „qui", temere mutaverunt in „quis". § 40 V „hujusmodi". S T „cujuscemodi", quo loco utrum cum Baitero et Klotzio „cujuscunque modi" scribendum sit, an cum Kaysero „cujuscunque" an cum aliis „cuicuimodi", sub judice relinquimus. § 41 V recte „te aliqua re levavit", S T „te ex aliqua parte relevavit".

§ 41 VS „consensuque vestro" quae verba editores repudiaverunt, Kayserus certe mendi signo affecit et conjecit „conventuque vestro". In T vero scriptum est, si Baiteri silentio fides habenda, „consessuque vestro", quam lectionem haud dubie conjectura exortam Klotzius in ordinem verborum recepit; Pluygers conjecit „concursuque vestro", ego scribi malui „conspectuque vestro (sc. judicum)". Sed fortasse omnes hae conjecturae, quarum nulla speciem veritatis praebet, supervacaneae sunt, si quidem verba codicum V et S ita explicare possumus, ut orator exprimat accusatores vel turbam ab illis concitatam doloris morte illa facti participem se praestitisse. Cf. de nat. deor. III § 28 „estque in ea iste quasi consensus, quam συμπάθειαν Graeci vocant" et similem locum de divin. II § 34.

§ 41 V „accusationis", S T „actionis", quam vocem cur Kayserus receperit, quamquam lectio codicis V optime se habet, non intellexi.

§ 42 V bene „victus", S „convinctus", T „convictus."

§ 44 V recte „majorem aliam", S T „majorem etiam aliquam".

§ 51 V „qua", quod recte in „quia" mutatum est, praesertim quum B habeat „qui"; in S vero inest „quoniam".

§ 41 V recte „arborem", S T cum aperta glossa „arborem fici" etc.

Sed codex V neglegentissime et a stulto librario conscriptus esse videtur. Modo enim scriptor ejus ad archetypi verba litteras addidit, modo aut in initio aut in fine aut in medio omisit, modo litteras corrupte exaravit, modo plura verba in unum sine sensu conscripsit, modo bis unum verbum vel litteram posuit. Itaque non mirum est, quod permultis locis, qui facile emendari poterant, viri illi docti, quibus auctoribus codices S et T scripti sunt, vera Ciceronis verba invenerunt. Veluti § 41 in V scriptum est „vos", in S T „tuos", fortasse recte, nisi fuit „vestros", quo vocabulo pulchrum contrarium efficitur ad vocem quae antecedit „nostro". Porro § 53 Kayserus ex V „vere" recepit; quae vox quamquam ferri potest, tamen Baiterus et Klotzius jure lectionem codicum S T, qui „severe" praebent, praetulisse videntur; nam vocula „severe" multo melius opponitur ei quae sequitur „benigne", et saepissime, ut supra notavimus, in V litterae vocabulorum omissae sunt. Praeterea cf. app. crit. ad. §§ 40, 41, 43, 44, 45, 46, 47, 49, 50, 51, 53, 54.

Quam ob rem quum codices S et T propter plures corruptelas communes cum V cohaerere supra exposuerimus et omnes loci, qui in S T aliter atque in V traditi sunt, conjectura felici aut infelici nati putari possint, non est cur S T ex V vel ex ejus apographo quodam

defluxisse non suspicemur. Sed paucis tamen locis movemur, ut singulari modo eos ex V manasse credamus. Praebet enim § 40 V „sit", S T recte „sinunt", § 46 V T „tum", S r. „mutuam" § 44 V „in dem", S T r. „in aedem", et eadem § numerus „III" in V omissus, in S T recte, ut videtur, additus est; quae emendationes etiam si conjectura hominis cujusdam docti inventae esse possint, tamen eum ingeniosum fuisse non negemus. Sed accedit, quod § 47 plura verba in singulis codicibus miro modo tradita sunt. Quo loco in V exaratum est „habebat enim rhetor iste adulescentis quosdam locuplentis (sic!) quos ..... acceperat; neminem tamen adeo etc."; S T exhibent „habebat enim rhetor iste adulescentes quosdam locupletes quos .... acceperat, ubi nihil possint (sic!) discere nisi ignorantiam litterarum; neminem quidem adeo etc." Hic enunciationem supervacaneam, quae est „ubi nihil ..... litterarum", spuriam esse nemo negabit, praesertim quum B habeat „habebat discipulos quos ..... acceperat", addita hac interpretatione: „inludit personae rhetoris imperiti, hanc eruditionem discipulorum fuisse in ejus schola dicens, ut in ea nihil aliud disceretur praeter ignorantiam litterarum". Sed quaerendum est, utrum cetera verba in V an in B an in S T recte tradita sint. Primum quod in B verba „enim rhetor iste" omissa sunt, id non solum more scholiastico obiter verba afferendi explicare possumus, sed etiam cognoscimus ex Arusiano Messio, qui p. 223 ed. Lindem. hunc locum sic affert: „habebat enim rhetor iste discipulos, quos .... acceperat; neminem tamen adeo etc." Deinde ejusdem scriptoris auctoritate movemur, ut vocem „tamen", cujus notio sententiae loci magis apta est, praeferamus ei quae in S T inest „quidem". Denique verba codicum V S T, quae sunt „adulescentes quosdam locupletes" vere a Cicerone scripta esse libenter editoribus concedimus, quum vix causa excogitari possit, cur in eis offendamus. Sed injuria haud dubie Kayserus et Klotzius ex Ravii conjectura vocem „discipulos", quae pro illis in B et apud Arusianum invenitur, addiderunt. Quum enim in his libris verba „adulescentes quosdam locupletes" non exstent, suspicandum est in codice, ex quo B et Arusianus manarunt, errore illa esse omissa eaque causa hominem aliquem doctum, qui antea legisset „a discipulis suist diceret Fufiis persoluturum", substituisse „discipulos", ut locum emendaret. Cui vero haec suspicio non sufficit, ei reputandum est, non solum scholiastas sed etiam grammaticos e rhetores saepissime neglegenter vel ex memoria tantum verba scriptorum afferre neque fidem eis habendam esse, si codicis optimi auctoritati obstent. Sed singularis hujus loci condicio multum etiam valet ad intellegendum, quae ratio inter codices V et S T intercedat. Nam quum S T easdem voces „adulescentes quosdam locupletes", quae in V insunt, praebeant, sententia nostra eos ex V defluxisse confirmatur. Quum autem S T eadem verba „ubi .... litterarum" contineant, quae schol. B in interpretatione addidit, codex ille e V descriptus, ex quo S T derivati sunt, eisdem antiquis scholiis, quorum apographum in B servatur, instructus et ex eis correctus fuerit necesse est. Quam sententiam etiam magis probabimus, si paucas illas lectiones codicum S T, quas supra commemoravimus, comparabimus.

Ut vero loco illo § 47 ad rationem codicum V et S T cognoscendam maxime adju-

vamur, ita singulari ejus conditione signum datur quem locum lemmatis schol. Bobb. in codicum nexu tribuamus. Quum enim in eis verba illius § aeque atque in codicibus Arusiani Messii, sed aliter atque in V tradita sint, codex ille, ex quo lemmata sumpta sunt, non ex V derivatus esse videtur, quamvis scholia ipsa cum S T cohaereant. Quod judicium nonnullis aliis locis, ubi B et V differunt, probatur. Ex quibus minoris momenti sunt plures errores librarii, qui inveniuntur in appar. crit. ad §§ 41, 42, 45, 53. Huc pertinet etiam quod § 39 B exhibet „putaverunt", quae forma nescio quomodo in editiones irrepserit, quum V cet. habeant „putarunt". Majore autem gravitate sunt § 51, ubi B „tunc", vocem haud dubie ab oratore scriptam, et § 52, ubi vocem „publicam", non minus necessariam solus exhibet, et § 51, ubi glossam illam, quae est „tu testem", solus omittit. Sed saepe tamen B eas lectiones, quae in V inveniuntur, cum bonas tum malas confirmat (cf. app. crit. ad §§ 41, 45, 46, 51), ex quibus summi momenti est glossema illud § 41 „ac dicto testimonio". Itaque quamquam B cum V non ita cohaeret, ut alter ex altero defluxisse existimandus sit, tamen non possumus non suspicari, hos duos codices ex uno archetypo derivatos esse.

Si vero universum usum criticum omnibus, quae allata sunt ex V et B, comprehensis spectamus, facere non possumus quin utrique codici summum pretium tribuamus, praesertim quum saepe alter altero corrigatur. Quamquam enim neque mendis antiquis vacui neque per se cum diligentia scripti sunt, tamen omni glossarum, conjecturarum, interpolationum recentium suspicione carent. Quam sententiam, quantum ad B attineat, veram esse negari non poterit, si lemmata illa eis locis, ubi V non exstat, cum S T contulerimus. Errores enim satis multi ab editoribus in B inventi sunt, cf. app. crit. ad §§ 14, 16, 17, 83, 85, 91, 98. Unus fortasse adhuc latet in verbis a scholiasta solo servatis, quae inserta sunt inter cap. 2 et fragmentum Ambrosianum „quid sibi meus necessarius Caetra voluit?" Nam Caetra inter subscriptores Laelii, de quibus hoc loco disseritur, nulla alia in parte orationis commemoratur, et praeterea illud nomen in codice non satis legi potuisse pro certo habemus, quum in app. crit. ad schol. annotata sint haec verba „ita manifeste codex". Itaque scribi malimus „Caelius", quem non modo Ciceronis familiarem fuisse scimus, sed etiam in numero subscriptorum Laelii fuisse ex § 11 cognoscimus. Contra rarissime B ad errores codicum S T detegendos adhiberi potest. Cf. app. crit. ad §§ 14, 3, 106. Sed huc pertinet unus locus, quem dignum existimamus, qui fusius tractetur. Postquam § 14 orator questus est sermonem iniquum de Cn. Pompejo in Asia dissipatum esse, secundum codices et editiones his verbis pergit: „Adjunxit illa (sc. Laelius), ut eos, qui domo exire nolebant, testimonii denunciatione terreret, qui domi stare non poterant, largo et liberali viatico commoveret". Quae verba in B ita servata esse videntur, ut pro „commoveret" scriptum sit „commovebat" (cf. quae Baiterus in app. crit. et Orellius in editione scholiorum Bobbiensium adnotavit). Haec forma eo veri similior est, quod offendimus in vocula quae est „illa". Quum enim hoc pronomen propter totum sententiarum nexum („adjunxit" respondet voci „primum" in init. § 14) non referri possit nisi ad ea quae sequuntur, ut ejus notio enunciatione sequenti

explanetur, magis conjunctionem aliquam explicativam exspectamus, quam conjunctionem „ut". Itaque credimus scribendum esse: „Adjunxit minas, ut eos.... terreret" et deinde ex B „Qui domi stare.... commovebat". Nam scholiasta sic verba explicat: „Calumniosa Laelii ostenditur oratio, quod testes.... ab eo vel minis compulsi sint etc." Cf. praeterea § 19 fin. „nihil praeter terrorem ac minas reperietis" et § 36 sub fin. „Laelio.... opibus suis terrenti ac minanti etc."

Ubi vero praeterea B alia verba praebet, ibi in S T lectiones facile errore et emendandi et interpolandi studio explicantur, veluti § 3, ubi in T addita est vox „providentia"; § 15 B r. „non", S T „nec"; § 17 B „sua" (et in lemmate et in commentario), S T om.; § 84 B r. „nisi", S T „sine", B S r „tutorum", T „auctorum"; § 3 B „corrupti concitatique", S T „compulsi concitatique", quae verba Kayserus et Klotzius in ordinem receperunt; sed quum „compulsi" hoc loco fere idem sit quod „concitati", participium vero, quod est „corrupti", non solum in lemmate sed etiam in commentario inveniatur, antiqui scholiastae auctoritati obtemperare non dubitamus; qua vero ratione vox „corrupti" intellegenda et bene explicanda sit, cf. Jordan. p. 4. Similiter nescimus, cur editores § 36 non ex B scripserint „tu vero tibi habe totam laudationem"; nam vox, quae est „totam", majorem vim sententiae exprimere nobis videtur, quam „istam", quod pronomen Cic. ad res adversariorum referre solet. Quin etiam vocem „decrevisse", quae eadem § in B post vocem „laudationem" addita est, non prorsus spuriam existimemus; nam non modo vix excogitabimus, qua de causa ab interprete aliquo inserta sit, sed etiam commentario sequenti apud schol. addi non potest. Si vero leviter hac voce mutata scribamus „decrevisti", sententia exsistit in nexu totius expositionis non inepta: „Tu vero tibi habe totam laudationem, tu enim tuo ipsius judicio hanc rem dubiam decrevisti; nec enim Acmonensium" etc.

Quod vero in lemmatis saepe plura verba enunciationis omissa sunt, scholiastae vitio non dandum, sed ita explicandum est, ut ea tantum afferre voluerit, quae interpretaturus erat. Cf. app. crit. ad § 2, 17, 20, 21, 92. Itaque etiam § 14 „vehementer", quod in B deest, cum Kaysero includere non audemus, quia notio ejus adverbii hoc loco aptissima est. Atque fortasse eadem de causa § 4 probanda est codicum lectio „quem enim alium etc."; nam pronomen „alium", quod in B facile omitti poterat, quum interpretandi materiem non praeberet, in nexu sententiarum bonum habet locum. Sed § 20 ex vestigiis lemmatum (nam tota enunciatio non affertur) scribendum est: „quam vero facile falsas rationes referre et in tabulas, quodcunque commodum est, inferre soleant". Nam rationes referuntur, non inferuntur; cf. ad fam. 5, 20 § 1 et 2; Verr. 2, 1, § 98 et § 77 etc.

Jam transeamus ad eam partem orationis, quae non servata est nisi in codicibus recentioris temporis. Qui omnes ita sunt inter se similes, ut Baiterus satis habuerit duorum varias lectiones, codicum S et T, accurate enotare. Cum T cohaerent decem Lagomarsiniani et duo Oxonienses, qui omnes §§ 47—53 omittunt, ceteri (A, ceteri Lagom., Oxonienses etc.)

cum S cohaerere videntur. Unus tantum codex P quo pertineat, in medio relinquendum est, quum Torrentius pauca tantum ex eo exscripserit. Sed omnes quoniam magnas easdem lacunas ante § 6 et ante § 83 exhibent, ad unum recedunt archetypum, quod singulari modo ex V derivatum esse supra demonstravimus. Quum vero duae familiae statuendae sint, operae pretium est investigare, quantum bonae frugis ex comparatione earum principum S et T repeti possit; nam neque S ex T neque T ex S transcriptus est. Paullo neglegentius exaratus est codex T, qui non modo plures errores exhibet (cf. app. crit. ad §§ 4, 6, 7, 9, 18, 19, 20, 23, 58, 61, 65, 66, 69, 84, 89, 91, 92, 98, 100, 103, 105), sed etiam saepius propter neglegentiam vel errorem oculorum plura verba omittit, veluti § 2 in eo deest „et lectissimorum", quas voces cur pro spuriis habeamus, non est causa; § 3 „civitatis", § 32 „cursu et", § 36 „nullam constantiam"; § 21 in T om. „an omnino non deferantur" errore oculorum atque deinde, ut verba recte ex verbo „refert" penderent, „tanto" in „quanto" mutatum est; alios errores oculorum cf. §§ 75, 86, 100, 105. Deinde in T insunt nonnullae glossae et interpolationes, quae in S desunt, veluti § 3 in T additur „providentiam", § 87 „civitatum", § 67 „nostris", § 85 „illud" (hoc vocabulum a Kaysero solo inclusum quodammodo defendi potest). Tales vero variae scripturae, quae in T magis speciem emendationis praebeant quam in S, non inveniuntur. At si codicem S spectamus, primum haud raro aeque atque in T neglegentiae errores invenimus (cf. app. crit. ad §§ 1, 2, 5, 10, 15, 18, 22, 24, 27, 30, 32, 37, 57, 61, 73, 75, 90, 93, 94, 97, 98, 105). Deinde nonnullas lacunas, sed non tam multas quam T, habet, veluti § 29 om. „omnia", § 98 om. „quid", voces necessario flagitatas; § 62 errore oculorum om. „et eorum eadem terra parens, altrix, patria dicatur", quae verba in T servata Kayserus fortasse injuria inclusit, quum nihil contineant nisi explanationem sententiae antecedentis, quam figuram Cicero, qua est verborum ubertate, saepe admittit. Porro etiam in S aliquot glossae inveniuntur, quae in T desunt; veluti § 106 male additum est „fortissimi", § 63 „jure"; § 55 „a civitatibus", quae verba glossema esse Jordanus p. 5 recte exposuisse nobis videtur. Quamquam enim non solum ita verba enunciationis conjungi possunt, ut Jordanus putat, sed etiam verba „a civitatibus" pendere ex substantivo, quod est „pecunia", cogitari potest (aeque ac § 31 legitur „consilium in remigibus imperandis" et § 87 „consilium in praetermittendis provinciis"), tamen quum et haec constructio mori usitato Latinorum repugnet et in cod. T illae voces omissae sint, Jordani sententiae assentiendum esse non negamus. Sic confiteri non dubitamus plurima genera corruptelarum non minus in T quam in S inesse. Attamen grave discrimen duorum codicum in eo versatur, quod multis locis haud dubie lectiones codicis S conjectura temeraria ortae sunt, ubi T vera verba servavit. Cf. § 33 S „jubebat"; § 56 S „amissum est", qua lectione imago pulchra tollitur, T optime „avulsum est"; § 19 S „non", T „vero" recte, quum forma interrogativa enunciationis magis apta sit; eadem § T „contentionem", quae scriptura sine dubio in archetypo fuit, in S vera vox „concionem" ex conjectura addita est; § 27 S „tempore" pro „praetore"; § 32 S „querant nostra ista" pro „quaeratur utrum ista"; § 65 S „si quid

despicatui dicitur"; § 64 in S verba ita mutata sunt, ut verbum curandi more usitato cum conjunctione, quae est „ut", conjungatur, quum in T post illud infinitivus sequatur; eadem § T „illam generaret", mendum archetypi, quod Klotzius probabiliter mutavit in „illam regionem" in S vero invenitur „illam gentem", quae verba Kayserus jure inclusit. Quae si reputamus, facere non possumus, quin aliis quoque locis, ubi S et T differunt, codici T majorem auctoritatem tribuamus, etiam si utraque lectio bonam explicationem habeat. Itaque jure ab editoribus ex T receptum est § 86 „rectum est" pro „ratum est" (S), § 103 „prodidero" pro „perdidero" (S) etc. Sed restant haud pauci loci, ubi editores hanc rationem sine causa idonea reliquerunt; quos addere jam nobis liceat. § 12 T exhibet „vos tum", quod explicari non potest; itaque Baiterus et Klotzius lectionem codicis S, quae est „vos autem" receperunt, cui nexus sententiarum obstare non videtur. Sed quoniam quum lectio codicis S suspiciosa est tum ἀσύνδετον hoc loco melius se habet, Kayserus „autem" inclusit. Nobis tamen haec via emendandi falsa esse videtur, quia non explicatum est, quomodo scriptura, quae est „tum", in T irrepserit. Itaque scribi malimus ex vestigiis ejus codicis „etiam", qua voce, quum „etiam" conjungi non possit nisi cum verbis „in privatis minimarum rerum judiciis", et ἀσύνδετον servatur et sententia exsistit omnino non improbanda. Deinde § 18 quamquam vox „legationis", quae ab omnibus editoribus ex S recepta est, defendi potest, tamen propter minorem suspicionem codicis T lectionem „largitiones" Baiterus in addendis recte praetulit. Cf. Jordan p. 4, ad cujus exempla addenda est § 14, ubi legitur „largo et liberali viatico commovebat". Intellegenda vero est, quum privata benignitas opponatur, largitio publica, quam Laelius cives egentes a civitate sperare volebat, eaque de causa in codice S aliquis interpres conjecit „spe legationis". Tum § 5 T habet „rapitur", in quo omnino non offendendum est. Nam bona est haec sententia: Flaccus rapitur ad poenam i. e. celeriter, cum vi quadam ducitur ad poenam. Cf. de or. 2 § 238: „qui ob facinus ad supplicium rapiendi videntur". Editores igitur injuria ex S receperunt „repetitur", praesertim quum verbo repetendi notio contineatur denuo vel retro petendi, quae non apta est. Neque dubitamus, quin in S aliquis, qui vim verbi rapiendi interpretaturus erat, minus grave verbum repetendi substituerit. Cf. etiam § 15, ubi in S simili mutatione temeraria scriptum est „retineremus" pro „teneremus", quod editores ex T jure receperunt. Porro § 33, ubi S habet „genus imperatae pecuniae", T P alii „onus imperatae pecuniae" nescio cur Baiterus et Kayserus scripturam codicis S praetulerint; nam „onus suscipere" apta est metaphora, quae vocula „genus" tollitur, atque insuper hoc loco non de genere aliquo pecuniae, sed de pecunia imperata ipsa agitur. Paullo ante cum in S conjectura aperta exaratum sit „ergo", T habet „vere", quo loco a viris doctis multae emendationes prolatae sunt (cf. ann. crit. apud Baiterum et Kayserum), sed T ad vestigia verae lectionis proxime accedit et jure receptum est „vero". Praeterea non est, cur § 23 vocem „testium" omnino spuriam existimemus, quamquam eam S et multi alii codices omittunt; quum vero haec vox certe supervacanea sit, fortasse melius ex quinque Lagomarsinianis editur „omnium". Neque § 64 cum Baitero et Kaysero ex S „maximam" est scribendum, quum in T

insit „maritimam", quae lectio optime se habet. Cf. § 30, ubi eadem ora vocatur maritima. Eadem § 64 non „habetur" ex S, sed ex T „habebatur" edendum est, quae forma non modo nihil habet, cur repudietur, sed etiam concinnitate postulatur, quum Cicero pergat „Aeoles alteri, Dores tertii nominabantur". Nec minus propter minorem suspicionem codicis T scribi ex illo velimus § 68 „quoniam quidem" cum Baitero et Klotzio, § 70 „in Pergameno" cum Jordano (p. 6) et Klotzio, § 88 „an vobis" (nam „vobis" bene respondet voci, quae sequitur „nobis"), § 89 „cumulateque" cum Baitero, praesertim quum „accumulate", quod S habet, rarius apud Ciceronem inveniatur, § 104 „videant" cum Klotzio et Jordano (p. 9); § 101 „nostrum", quum aeque ferri possit ac „vestrum" et pronomina, quae sunt „noster" et „vester", saepissime confundantur (cf. § 3, 24, 27); § 66 „sed summissa" ex vestigiis codicis T, qui habet „si summissa" (S Bait. et Kays. „summissa"); nam Klotzii emendatio, quae est „sic, summissa", propter vim adverbii „sic" minus placet.

Quae omnia quum ita sint, codicem T, quamvis neglegenter scriptum neque corruptelis vacuum, tamen paullo puriorem esse fontem orationis existimamus. Ex ceteris vero codicibus notis et vetustis editionibus Baiterus jure non omnes varias scripturas enotavit; nam ex paucis eis, quae attulit, satis superque apparet, illos quam maxime virorum doctorum conjecturis et additamentis depravatos esse. Cf. § 3 „hoc tempore, hoc, inquam, tempore" F L, „occiderunt" pro „ceciderunt" P; § 5, ubi ante magnam illam lacunam verba aliis in codicibus aliter vitiata sunt, ut intellegi possit, viros illos doctos operam dedisse, ut lumen loco infunderent; § 6 „ea vero .... etiam ab inimicissimis laudatur" A et 6 Lag., sine dubio petulans mutatio, aeque ac § 7 A „praetermittenda" et „refutare testes nisi"; § 11 P A „levissimusque", quae vox inventa esse videtur, ut oppositio exsistat ad vocem „gravissimus", quamvis bene „loquacissimusque" in locum quadret. Immo collocatio verborum interdum petulanter mutata est. Cf. app. crit. ad §§ 11, 14, 31. Raro tantum hi codices vestigia verae lectionis habent, ut jam supra ad § 23 vidimus. Praeterea § 25 verba codicum P F L „sed in qua maxime florere generis sui gloriam" Kayserus jure (omisso „in", quod Klotzius addit) in verborum ordinem recepit, etiamsi fortasse conjectura felici inventa sint; neque enim placent, quae S et T praebent, et videtur in fonte eorum mendum fuisse, quod alii aliter sanare studuerunt. Nec minus recte § 30 ex 2 Lag. editum est „postero" pro „postremo". Idem judicium faciendum est de loco § 92, ubi Baiterus ex S edidit „scire quis; ipse igitur ille". Sed illud „quis" et male in continuatione sermonis se habet et supervacaneum est. Itaque Kayserus ex T scripsit „scire qui sis; ipse igitur ille". Sed quomodo mulieres, quae accusatoris oratu epistulas illas protulerant, negare potuerint se scire, qui ille esset, non satis apparet. Neque magis placent, quae Klotzius scripsit cum Orellio „scire. Quis is est igitur? Ille", quum sic eadem sententia exprimatur, quae jam enunciatione proxime antecedenti continetur. Itaque crediderim vera verba in A aut servata aut ingenio librarii inventa esse: „scire. Quid est igitur? ille", ut haec sententia exsistat: Mulieres negant se scire, quis Laelio Falci-

dium ad ipsas epistulas misisse indicaverit; tum Cicero rhetorice interrogat: „Quid est igitur? (i. e. quomodo igitur res se habet?) ille ipse tibi hoc narravit?“ Porro § 4 in codice Memmiano conjectura felici inventa est vera vox „nobis“, ubi in S T A F legitur „bonis“. Denique nescio an ingenio librariorum tribuendum sit, quod § 64 in F et uno Lag. omissae sunt voces „quae fama“; nam quin hoc loco aut verba „quae fama“ aut „quae gloria“ addita sint, non dubitamus. Cicero enim Graeciae laudes efferens primum in universum docet eam fama vel gloria floruisse, deinde singulas res distinguit, quibus haec fama vel gloria camparata sit, doctrinam, artes, laudem bellicam. Minus autem veri similius est interpolatorem verba „quae gloria“ explicare voluisse verbis „quae fama“, sed voces „quae gloria“ glossam esse pro certo habemus. Quibus verbis interpolator indicare voluit, esse illam, qua Graecia excelleret, famam b o n a m. Cf. pro Sestio § 139: „qui autem famam bonam bonorum, quae sola vere gloria nominari potest, expetunt“; porro pro Arch. § 4 et 5 et Tusc. I. § 110, ubi voces, quae sunt „fama“ et „gloria“, inter se respondent et vicissim usurpantur.

Ut vero hi codices deteriores, sic etiam rhetores et grammatici raro tantum in vero verborum ordine restituendo nos adjuvant. Cf. quae supra ad § 47 p 8 disseruimus. Cetera vero, quae ex his scriptoribus allata sunt, tam exiguo sunt pondere, ut supervacaneum sit ea hic explicare. Cf. app. crit. apud Bait. et Kays. ad §§ 1, 9, 19, 72 et ad eas enunciationes, quae ad lacunam ante § 6 referendae sunt.

Sed non satis est varias lectiones codicum S et T et ceterorum librorum inter se contulisse, quamvis multum hac re proficiamus. Nam omnes codices recentiores ex archetypo manaverunt, quod erroribus, conjecturis, glossis, interpolationibus, lacunis, malis collocationibus depravatum esse supra ex comparatione librorum antiquiorum V et B apparuit. Itaque jam eos locos tractare nobis liceat, qui in S T ceteris aequo modo traditi sunt, ut ex nexu sententiarum et verborum illas corruptelas, quas satis multas exstare suspicamur, detegamus. Primum ut siusguli codices sic archetypum non magna cum diligentia scriptum fuit, quum haud pauci inveniantur errores librariorum communes. Cf. app. crit. ad §§ 3, 4, 6, 66, 67, 102, 106, 96, 24, 59, 60, 74, 83, 19, 105. Deinde multae lacunae minoris spatii a viris doctis inventae et in Kayseri editione passim probabiliter expletae sunt, ut § 2 (tribus locis), § 22, § 30, § 64, § 68 (bis), § 70, § 72, § 84, 94, 100, § 104. Cur vero Kays. cum F et Naugerio § 65 „vetus“ inseruerit, ex nexu verborum intellegi non potest, etiamsi vocabulum, quod est „proverbium“ apud Ciceronem saepius cum adjectivo, quod est „vetus“, conjunctum legatur. Sed hoc supplementum defendi potest, si Naugerium e codice illud hausisse putamus, de qua sententia infra disputabimus. Nobis vero praeterea lacunosa esse videtur § 97, ubi in S T legitur „lectissimorum civium et amplissimorum“. Namque Cicero quamvis collocationem illorum superlativorum, qui ad ornatum substantivi pertinent, variet (cf. §§ 68, 95, 102, 105), tamen quibus locis cum vi quadam et animi motu pronunciandi sunt, eis ante substantivum illos ponere solet. Cf. § 15 et § 57, ubi „sapientissimi

et sanctissimi Romanorum majores“ vel „gravissima et moderatissima civitas Romana“ opponuntur civitatibus Graecorum immoderatis; § 2, ubi „sapientissimi et lectissimi viri“ opponuntur civium multitudini imperitae“. Itaque quum verba § 97 item ac § 2 civibus imperitis opposita sint, proponimus hanc lectionem: „lectissimorum civium et amplissimorum v i r o r u m“. Cui vero haec nimis audax conjectura videtur, certe collocatio verborum mutanda est, ut legatur „lectissimorum et amplissimorum civium“.

Tum haud pauca additamenta codicum S et T in Kayseri editione recte omissa vel inclusa sunt, § 23 „ipse“, § 26 „acerrime“, § 32 „in provincias“, § 37 „enim“, § 61 cum omnibus editionibus „defecerunt et“, § 74 „rebus“, § 86 cum ceteris editionibus „doti“, § 91 „minus igitur lucri facit“, § 94 cum Baitero et Klotzio „postulo“, § 69 „quod elocata quod servata“, quae verba Bernaysius probabiliter putavit nata esse ex sententia a monacho quodam adscripta: „quam deo cara, quod servata“; nam Nic. Angelii conjectura, qui scribi voluit „quod elocata, quod serva“ vix placebit, quum non apte dicatur „gentem Judaicam elocare“ ea significatione, ut sit „ejus vectigalia elocare“. Num vero Kayserus § 7 ex Bremii conjectura concinnitatis causa jure incluserit voces, quae sunt „turpe compendium“, cum Klotzio valde dubitamus. Namque quum rhetores plurimi tum Cicero ipse docet cavendum esse, ne concinnitas nimis sit affectata neve ita comparata, ut „quadrandae orationis industria ostentetur“ (or. § 197). Fortasse vero vox „turpe“ in „breve“ mutanda est, quum „turpe“ non bene respondeat voci quae antecedit „uberrima“; certe veri similius est aliquid in vocabulis vitiatum quam ipsa illa verba a librario addita esse. Nec majore jure Kayserus § 24 vocem, quae est „reliquis“, inclusit, quum bene se habeat in enunciatione, qua haec continetur sententia: „Deprecarer... ne periculosam imitationem exempli reliquis (i. e. omnibus civibus, qui praeter vos judicum munere funguntur vel functuri sunt) in posterum (i. e. in posterum tempus) proderetis“. Denique Kaysero non assentimur, quod § 86 „extorquere“ inclusit tamquam glossam ad verba „accipere contra leges“ adjectam. Nam utrumque verbum ferri potest; et pecuniam extorquere i. e. vi quadam alicui eripere et pecuniam accipere contra leges (sc. corrumpendi causa oblatam) Flaccum oportere orator negat. Nonnullae vero glossae recte inventae sunt a Jordano: § 6 „qua vi“ (p. 3 et 4), § 31 „occasio“ (p. 4). Neque injuria ille vir doctissimus § 59 haesit in verbis, quae sunt „ex quibus nihil ipse capiebat“ (p. 5), quia et supervacanea sunt et propter latinitatem vix defendenda. Sed his causis non cogimur, ut cum Jordano totam enunciationem deleamus, quia levi mutatione unius vocabuli locus sanari potest. Si enim scribimus „ex qua nihil ipse capiebat“, neque in latinitate offendimus (cf. paullo antea „At enim istam pecuniam huic capere non licuit“) neque supervacaneum quidquam a Cicerone additum est, quum sane vis argumentationis augeatur, si patrem Flaccum nihil ex illa pecunia cepisse affirmatur. Certe vero Jordanus fallitur, quod (p. 4) ex § 31 deleri vult verba „quoniam de eorum gravitate dicimus“, quae haud dubie ironice dicta sunt. Cicero enim ut tota oratione Graecos perstringit sic hoc loco

occasione oblata deridet ludos illos Graecorum, in quibus victoria comparata ita se jactent, ut Romani triumpho.

Contra nonnullis aliis locis glossa vel interpolatio in verborum ordinem irrepsisse nobis videtur. Huc pertinet primum § 89, ubi verba „ut dicitis", quae in S in „ut dicitur" corrupta sunt, omittenda esse existimamus. Namque in eis adversarii opprobrium vel sententiam continentibus enunciationibus, quae incipiunt particula „at", fere nullo alio loco orationum Tullianarum „ut dicitis" vel simile quid insertum est, ut non dubitemus, quin sententiam adversarii his enunciationibus contineri jam satis particula illa, quae est „at", indicatum sit. Cf. dissertationem meam, quae inscripta est „Librorum manuscriptorum, qui Ciceronis orationem pro Caelio continent, qualis sit condicio, examinatur etc." p. 8*), ubi plurimos locos orationum, quibus tales enunciationes inveniuntur, attuli, ut pro Cael. § 68 vocem „inquit" delendam esse demonstrarem. Reliqui loci hujus generis, quos orationes continent, hic adjiciantur: Phil. X § 15, XIII § 7, XI § 25, I § 12, II § 3, pro Flacco §§ 84, 88, 90, 91, pro Sulla § 56, pro Dej. §§ 16, 23, 25 (cf. notam), in Pis. § 74 (cf. notam), pro Arch. § 9, de lege agr. II. §§ 76, 81, de imp. Cn. Pomp. §§ 60, 51, pro Rosc. Am. §§ 41, 45, Verr. II, 1 § 62, pro Planc. § 33 (cf. notam), fragm. in Clod. et Cur. VI., 1 (cf. notam). Et his locis et eis, quos in illa dissertatione attuli, quattuor exceptis (cf. notam), „ut dicitis", „inquit" vel simile quid in ejusmodi enunciationibus deest. Neque sententiae nostrae objici potest pro Flacco § 89 verba „ut dicitis" non pertinere nisi ad attributum, quod est „spoliatus bonis", quum inter omnes illos locos ne unus quidem inveniatur, ubi similiter ad attributum aliquod tale quid additur. Tantum Phil. II § 3 insertum est „nam ita dixisti"; sed haec verba nihil aliud spectant, quam ut Cicero affirmet se veram sententiam adversarii proferre; itaque vix hic locus conferri potest. Neque sententia nostra improbatur, quod paucis illorum locorum vocula „credo" addita est (pro Dej. § 16. Verr. II, 1 § 62); qua vocula nihil agitur, nisi ut sententia adversarii, quam orator affert, derideatur,

Deinde verba „quid agatur", quae § 4 leguntur, glossema esse suspicamur; nam quae sententia antecedit et quae sequitur, eandem in universum tantum et minus dilucide

*) Hoc loco dissertationis meae permultis exemplis allatis negavi in ulla ejusmodi enunciatione a Cicerone in orationibus „inquit" additum esse. Quum jam iterum orationes omnes percurri, quattuor tamen locos inveni, ubi „inquit" adjectum est: pro Dej. § 25, in Pis. § 74, pro Planc. § 33, in Clodium et Cur. fr. VI, 1. Sed etiamsi his locis probari possit non omnino postulandum esse, ut „inquit" in illis enunciationibus omittatur, tamen sententiam meam § 68 Caelianae „inquit" delendum esse mutare nequeo. Nam primum in optimo illo codice Parisino 7794 illud verbum non invenitur, deinde facile dittographia oriri poterat („propinquis inquit"), porro sonus obstat, denique longe plurimis locis, ubi ejusmodi enunciationes exhibentur, „inquit" deest, quum eis permultis ex adversarii sensu dictis enunciationibus, quae particula „at" carent, plerumque insertum sit. Immo fortasse postrema causa tam gravis putanda est, ut illis quoque quattuor locis „inquit" delendum esse censeamus. Quorum gravissimus legitur in Pis. § 74, ubi adversarius oratorem alloquens inducitur. Sed eandem figuram invenimus de domo § 5 et Phil. XIII § 35, quibus locis „inquit" vel simile verbum deest.

exprimunt; quod si Cicero in animo habuisset, certe hoc membrum ante verba, quae antecedunt, posuisset. Fortasse vir doctus aliquis, qui verbum temptandi explicare voluit, illas voces excogitavit.

Tum § 6 codices exhibent „quae tamen solet esse falsa", quae verba sententiam continent supervacaneam et ineptam; nam nihil ad argumentandi rationem faciunt. Quare Pluygers locum emendare studuit, ut scriberet „quae tamen solet esse spe falsis"; qua conjectura sententia minus inepta exprimitur, sed offendimus in usu participii, quod est „falsus". Nobis igitur alio modo locus sanandus esse videtur. Si figuras rhetoricas totius argumentationis spectamus, exclamationem, membra aequalia, interrogationes rhetoricas, orationem hoc loco fulgentem et fervidam esse perspicuum est, ut judicum animi quam maxime moveantur. Tali vero in loco male se habet, quod concinnitas membrorum interrumpitur sententia illa supervacanea, quae est „quae tamen solet esse falsa". Itaque credimus haec verba spuria esse et interpreti alicui deberi, qui Ciceronis expositionem explicaturus adscripsit suspicionem, quam homines de judicibus et praetore habere solerent, saepe falsam esse.

Porro § 10 haeremus in verbis quae sunt „nihil dixit quod laederet cum cuperet; impediebat enim religio". Quae quidem verba eandem fere sententiam continent, quae inest in eis, quae sequuntur; nam utraque enuntiatione exprimitur religione factum esse, ut Lurco cum pudore diceret neque quidquam proferret quod laederet. Orator igitur si vere illa verba scripsit, hoc loco admisit figuram interpretationis (Corn. IV. § 38, qua eadem sententia duabus enunciationibus explanatur. Huic vero opinioni obstat particula „tamen", qua ea, quae sequuntur, quodammodo verbis antecedentibus opponuntur. Quam particulam spuriam esse vix credere possumus, si enunciationes, quae sequuntur, perlegimus. Quae quidem aequo modo comparatae sunt, ut membris primariis membra secundaria particula „tamen" opponantur („quam promptus homo P. Septimius! quam iratus — vilico! tamen haesitabat, tamen — religio — repugnabat" et „inimicus M. Caelius, ... tamen tenuit se etc.) Comparantibus jam enunciationem primam nobis perspicuum est, non minus apte hoc loco inter se opponi membra, quae sunt „iratus Flacco dixit M. Lurco, quod . . . . condemnatus" et „tamen id, quod dixit, quanto cum pudore . . . . . . dixit!", atque membrum, quod est „nihil . . . . . religio", et nexui sententiarum obstare et concinnitatis causa male se habere. Quare non dubitamus, quin haec verba „nihil . . . . religio" spuria sint et monacho cuidam debeantur, qui vim religionis hoc loco exponi gavisus ea adscripsit, ut verba, quae sequuntur, explicaret. Cf. Cap. IV. fin., ubi legitur „tenuit se (sc. M. Caelius) neque attulit in judicium quidquam ad laedendum nisi voluntatem", quae verba ille interpres spectasse videtur.

Praeterea jure Kayserus offendit in verbis, quae leguntur § 25: „cujus ex familia qui primus consul factus est, primus in hac civitate consul fuit, cujus virtute regibus exterminatis libertas in republica constituta est, quae usque ad hoc tempus honoribus, imperiis, rerum gestarum gloria continuata permansit". Nam tam malam periodum, in qua plures enunciationes relativae ita connexae sunt, ut alia ex alia pendeat, a Cicerone scriptam esse credi

vix potest. Huc accedit, quod Valerius Publicola, ad quem hoc loco alluditur, non primus, sed primo tantum anno consul in republica Romana fuit. Sed num Kayserus omnia illa verba, quae sunt „qui primus.... constituta est quae“ recte incluserit, dubitamus. Nam si haec omnia omittimus, gloria gentis Valeriae in universum tantum depingitur verbis quae sunt „cujus familia usque ad hoc tempus.... permansit“; neque vero exponitur, qua re gens Valeria ante omnes eminuerit, ut libertatem civitatis constitueret. Quam gloriam ab oratore commemoratione indignam putatam esse quum rhetoricis causis, quia hac re animi judicum maxime moventur, tum eo non verisimile est, quod verbis quae sequuntur „ab hac perenni contestataque virtute majorum“ ad hoc meritum illius gentis haud dubie alluditur. Quae quum ita sint, nobis hic locus sic sanandus esse videtur, ut scribamus „cujus ex familia regibus exterminatis libertas in re publica constituta est, quae usque ad hoc tempus..... permansit etc.“ Itaque omittenda sunt verba „qui primus consul factus est, primus in hac civitate consul fuit, cujus virtute“, quae ex glossa aliqua quomodo manare potuerint, facile intellegitur.

Jam accedamus ad § 27, ubi haec leguntur: „cum quidem nihil a superioribus continuorum annorum decretis decesserit“. Qua enunciatione oratio retardatur neqne quidquam ad argumentationem augendam affertur, quum ipsum senatus consultum recitetur. Praeterea num talia senatus consulta, quae ad classem in Asia habendam pertinerent, paulo ante Ciceronis consulatum (nam de hoc tempore cogitandum est) continuis annis facta sint, valde dubium est. Nam eo tempore Cn. Pompejus in Asia fuit, cui legibus Gabinia et Manilia omnis illa potestas tradita erat. Itaque illa verba „cum quidem..... decesserit“ ab interprete addita sunt, qui hoc senatus consultum, quum verbis non traditum esset, explicaturus et in animo habens illa decreta, quibus in continuos annos Cn. Pompejo classis imperandae potestas data est, haec fere in margine codicis archetypi adscripsit: „hoc (sc. senatus consultum) nihil a superioribus continuorum annorum decretis decesserit“, quae verba postea ab alio apta particula „cum quidem“ in verborum ordinem inserta sunt.

Nec minus haeremus in verbis quae leguntur § 56 „haec pecunia tota ab honoribus translata est in quaestum et faenerationem“. Neque enim satis apte cum metaphora prorsus inusitata dici posse nobis videtur „pecunia ab honoribus in quaestum et faenerationem transfertur“ ita ut sit „pecunia, quae ad honores instituendos in oppido posita est, in quaestum et faenerationem transfertur“. Itaque voces „ab honoribus“, quibus in nexu verborum carere possumus, glossema esse putamus alicujus, qui ex eis, quae antecedunt, interpretari voluit, unde illa pecunia sumpta esset.

Idem vitium latere videtur § 85, ubi in codicibus haec tradita sunt: „non igitur impressio, non occasio, non vis, non tempus, non imperium, non secures ad injuriam faciendam Flacci animum impulerunt“, ut zeugmatis exemplum praebeant, quum praedicatum non ad omnia subjecta referri possit. Quo loco jam Manutius offendit in collocatione vocis, quae est „occasio“ et proposuit, ut hoc ordine verba se excipiant, „non igitur impressio, non vis, non occasio, non tempus etc.“ Qua mutatione Kayserus et Klotzius jure non acquieverunt, quia voce occasionis nihil aliud exprimitur quam voce temporis, et ediderunt „non igitur impressio, non occisio, non vis, non tempus etc.“ Sed hac conjectura difficultas non evanescit; nam quum notio vocabuli „occisio“ jam continetur voce, quae est „vis“, tum occisio alicujus Flacco opprobrio data non erat, ut non explicetur, cur sic Cicero scribere potuerit. Itaque vocem „occasio“ glossam esse ad vocabulum „tempus“ explicandum adjectam nobis persuasum est, praesertim quum sane mire illa vox collocata sit.

Denique facere non possumus, quin duobus locis particulam parvam in verborum ordinem errore irrepsisse censeamus. § 38 legitur „neque in toto Acmonensium testimonio.... commovebor“, in quibus verbis particula „in“ vix explicari potest, quum non intellegamus, quid sit „aliquis commovetur in testimonio“. Nec minus inepta est particula „tamen“, quae legitur initio § 87. Nam quum conjunctioni, quae est „quamquam“ in eadem enunciatione paullo infra altera vocula „tamen“ respondeat, priorem non possumus conjungere nisi cum verbo „vidistis“, ut haec sententia exsistat: „Sed quamquam opprobrium illud nullum est, tamen vidistis etc.“, quae in nexum sententiarum non quadrat.

Sed praeter has glossas et interpolationes multae verborum corruptelae in S T inveniuntur, quae magnam partem jam detectae et sanatae sunt. Emendatissima adhuc oratio edita esse videtur a Kaysero; itaque quum longum sit omnes virorum doctorum conjecturas probabiles enumerare, ejus editionem hac in parte disputationis sequimur, ita ut ea tantum afferamus, quae nobis mutanda vel adjicienda videntur.

§ 36 in codicibus legitur „nisi vero hactenus ista formula testimonii atque orationis tuae describi ac distingui (S male „atque destingui“) potest“. Quo loco quid sibi velit verbum describendi vix explicabitur, atque suspicamur Ciceronem verbo discribendi usum esse, ut duo verba cognominata legamus (discribi ac distingui“), quorum exempla permulta apud Ciceronem inveniuntur. Cf. § 15 et § 32, ubi in Kayseri editione eadem mutatione facillima plures loci rectissime emendati sunt.

§ 35 sub fin. ex Victorii conjectura coll. pro Quint. § 8 scriptum est „jecerit“ pro eo, quod codices praebent „legerit“, quae vox explicari nequit. Sed etiamsi illo loco Quinctianae haec emendatio probanda sit, quia de telo agitur, tamen hoc loco Valerianae valde in ea offendimus. Nam vix latine dici potest „aliquid jacere“, ut idem sit, quod „aliquid opprobrio dare“. Itaque magis probamus Pantagathi conjecturam, qui proposuit „egerit“ (i. e. oratione exposuerit“), nisi scribendum est „objecerit“ vel „dixerit“.

§ 65 verba „de tota Caria“ Kaysero corrupta videntur; sed difficultatem nullam praebent, si quidem cum Baitero sic verba distinguimus: „quid? de tota Caria nonne hoc etc.“ Contra idem vir doctissimus recte censuit § 34 scribendum esse „prodeant. procedit unus Ascepiades“ (cf. quae Jordanus p. 8 de his verbis collocandis disseruit), nisi „prodeant“ pro glossa habendum est, quam librarius aliquis adscripserat, ut explicaret, cur orator his

verbis pergeret „etiamne praeconem mentiri coëgisti?" Certe facillime haec suspicio excitatur, si reputamus verbum „prodeant" neque bene in codicibus collocatum esse neque quidquam ad ornandam argumentationem afferre. Nec minus probandae sunt plures conjecturae Jordani, qui (p. 7 et p. 9) scribi voluit § 10 „atque", pro „itaque" et § 74 amicorum" pro „animorum" et § 23 verba „hoc te rogo" melius distinxit. Idem vir eruditissimus p. 6 probavit incolas Apollonidis non Apollonidienses, sed Apollonidenses nominatos esse, quam scripturam nescio cur Kayserus § 79 (bis) contempserit, ceteris locis ratam habuerit.

§ 68 cum Baitero offendimus in verbo, quod est „judicatum". Nam quum Flaccus edicto sanxisset, ne ex Asia provincia aurum exportari liceret, judicium auro deprehenso non opus erat. Praeterea mirum est, quod „judicatum" legitur ante verba quae sunt „quaesitum e prolatum palam", quum judicium fieri non possit, nisi postquam res quaesita est. Itaque cum Baitero scribendum est „indicatum"; nam sic res bene se excipiunt; primum edicitur, deinde aurum indicatur, tum quaeritur et palam profertur. Neque scio an Halmius § 88 recte conjecerit „exercebat" (cod. „exercet"), quum antea tempora praeterita legantur, et § 23 Pluygers „vocem quandam temerariam", quia vix psephisma quoddam motus quidam temerarius nominari potest.

§ 60 jure jam Garatonius verba codicum quae sunt „cum vestigio" mendosa esse existimat; nam sane attributum aliquod ad substantivum, quod est „vestigio", adjiciendum desideramus. Itaque Garatonius conjecit „cum vestigiis" aut „cum omni vestigio" scribendum esse. Quarum emendationum altera praeferenda est, sed ita mutanda, ut legamus „cum vestigio omni", quia vocabulum „omni" facilius inter voces „vestigio", et „imperii" excidere potuit. Idem vir summo ingenio putavit § 57 in verbis, quae sunt „an id quod" (ante nomen „Pergami"), latere nomen alius civitatis. Quae opinio ad veritatem maxime accedit, certe signum corruptelae ponendum est, quia vix illa verba explicari possunt neque virorum doctorum conjecturae adhuc prolatae speciem veritatis praebent.

§ 18 codices exhibent „quare jam non est mihi contentio cum teste". Sed in tota hujus loci expositione de pluribus testibus agitur; quare Ciceronem scripsisse „testibus" existimamus. Idem vitium latere arbitramur § 33, ubi in codicibus inest „Equidem Q. fratris mei laude delector". Quo loco jam Pluygers intellexit singularem numerum „laude" ferri non posse, quum non de laude Q. Ciceronis universa cogitandum sit, sed de certa re laude digna. Itaque conjecit Pluygers „hac laude", quam emendationem Kayserus recepit. Sed melius scribitur „laudibus", quae conjectura et magis ad codicum vestigia accedit et probatur eis, quae sequuntur „sed aliis magis, gravioribus atque majoribus".

§ 6 haec ex codicibus edita sunt: „Ante quam dico a quibus....., dicam de genere universo et de condicione omnium nostrum", quae verba propositionem continent ejus partis orationis, quae extenditur usque ad § 27, ubi orator ad ipsa crimina Graecorum transit. Itaque exspectamus priore loco hujus partis disputari de genere universo (sc. testium), altero de condicione omnium Romanorum vel saltem eorum, qui a partibus rei stant. Sed re vera nihil de condicione Romanorum dicitur neque quidquam aliud exponitur nisi quali natione, qualibus moribus sint testes, qua condicione eorum res publicae administrentur. Quare vocabulum „nostrum" corruptum esse necesse est et scribendum „dicam de genere universo et de condicione omnium horum", qua mutatione facillima efficitur, ut oratio ipsa cum propositione consentiat.

§ 9 legitur: „de quibus vos aliis testes esse debetis, de iis ipsi alios testes audietis?", quibus verbis haec sententia exprimitur: Non debetis de eis hominibus, judices, alios testes audire, de quibus ipsi testes esse potestis. Sed antea Cicero interrogatione rhetorica exposuit L. Flaccum modestissimum adulescentem, provinciae maximae sanctissimum virum etc. a judicibus cognitum esse eaque re cavendum esse, ne hominum ignotorum testimonium de eo audiatur. Itaque non de aliis hominibus cogitandum est, sed de vita et moribus L. Flacci, quales adolescens, administrator provinciae, imperator, quaestor, praetor, senator praestitit. Quare quum verba § 9 ita cum eis, quae antecedunt, connexa sint, ut sententiam eorum magis explanent, suspicamur Ciceronem scripsisse: de quibus rebus (sc. de modestia, fortitudine, diligentia, temperantia, constantia etc. L. Flacci) vos testes esse debetis, de eis ipsi alios testes audietis?"

§ 11, ubi testium Graecorum mores perstringuntur, codices haec praebent; „Vinci, refelli, coargui putat esse turpissimum (sc. testis Graecus), ad id se parat, nihil curat aliud. Itaque non optimus quisque nec gravissimus, sed impudentissimus loquacissimusque deligitur". Quo loco notio verbi deligendi in nexum sententiarum non quadrat, quum non de deligendis testibus, sed de testium ipsorum natura agatur. Itaque Ciceronem scripsisse putamus „diligitur" i. e. magni aestimatur a suis civibus. Cf. § 12, ubi eadem sententia aliter exprimitur „laus, merces, gratia, gratulatio proposita est omnis in impudenti mendacio". Quo loco Kayserus summo jure propter verbum proponendi voculam „in", quae facillime inferri poterat, delevit, sed etiam „omnis" mutandum est in „omni", quum haec vox ita collocata sit, ut ad verba, quae sunt „impudenti mendacio" referenda esse videatur.

§ 62 haeremus in verbis quae sunt: „Adsunt Athenienses, unde humanitas, doctrina religio, fruges, jura, leges ortae atque in omnes terras distributae putantur". Quo loco vocabulum „fruges" proprio sensu intellegendum esse Manutius credidit; nam addidit hanc interpretationem: „Auctore Triptolemo, qui aratrum et agriculturam invenit". Sed inepte inter eas res, quas in Attica ortas esse orator dicit, humanitatem, doctrinam, religionem, jura, leges, etiam fruges campi nominari vix negabitur. Si Cicero ad illam fabulam alludere voluisset, sine dubio agriculturae vocabulo vel simili voce usus esset. Neque quidquam lucramur, si vocem „fruges" sensu translato intellegendam esse putamus, ut idem fere sit, quod „utilitas"; qua interpretatione sententia exsistit quam ineptissima. Sed accedit alia causa, qua illud vocabulum corruptum esse arbitramur. Opponuntur enim hoc loco Athenienses (cf. quae

praecedunt) eis Graecis, qui in Asia habitabant, eorumque virtutes, quibus praeter ceteros excellunt, laudantur. Sic Asianorum crudelitati, stultitiae, impietati oppositae sunt Atheniensium humanitas, doctrina, religio. Itaque credimus in vocabulo quoque inepto, quod est, „fruges“, latere aliam Atheniensium virtutem, qua Asianis praestabant. Atque quum Cicero antea fere nullum aliud vitium Asianorum acrius perstrinxerit quam intemperantiam, suspicamur, hoc loco scribendum esse „frugalitas“, quam vocem non modo facillime in „fruges“ corrumpi potuisse nemo negabit, sed etiam fere idem significare, quod „temperantia“ et Graecorum σωφροσύνη (quae virtus Atheniensium erat) Cicero ipse declarat Tusc. III. § 16: „Veri etiam simile illud est, qui sit temperans — quem Graeci σώφρονα appellant eamque virtutem σωφροσύνην vocant, quam soleo equidem tum temperantiam, tum moderationem appellare, non nunquam etiam modestiam, sed haud scio an recte ea virtus frugalitas appellari possit etc.“

§ 31 legitur in codicibus „cujus est fere nobis omnibus nomen auditum“, quibus in verbis copula „est“ male collocata est. Nam haec copula nisi vi quadam pronuncianda est, a Cicerone in initio enunciationis poni non solet. Itaque quum in codicibus saepissime verborum collocationem temere mutatam esse satis constet, hoc loco ex Ciceronis usu scribendum esse putamus „cujus fere nobis omnibus nomen est auditum“.

Quibus omnibus corruptelis comprehensis illud judicium, quod supra de condicione codicum S et T comparatis libris V et B protulimus, confirmatum videmus. Sed parva in parte orationis his quoque subsidiis criticis destituimur. Insunt enim in S T duae lacunae majoris spatii, quarum supplementa ex aliis fontibus nequaquam puris exhaurienda sunt. Priore loco de §§ 75—83 disputare nobis liceat, quam lacunam Chunradus Peutingerus in editione Cratandrina ex codice explevit. Cf. quae Orellius in app. crit. ad § 75 adnotavit. Quo de loco ante omnia quaerendum est, num recte editores fecerint, qui hanc lacunam non explendam esse nisi ex editione Cratandrina censuerunt. Hac enim in editione § 78 omissum est nomen „Pataranos“, quod Naugerius addidit. De qua voce Orellius hanc protulit sententiam: „Ex hoc loco manifestum fit Naugerium aut licentissime in hoc capite versatum esse, aut, quod non prorsus incredibile est, habuisse exactius aliquod ἀπόγραφον codicis Peutingeriani vel similis“. Sed vix demonstrabitur, quomodo fieri potuerit, ut Naugerio nomen Pataranorum, populi Lyciae omnino ignoti, in mentem incideret; certe quum constet eum in Hispania et Gallia excussis permultis bibliothecis haud raro reperisse aliquot orationum membra, quae usque ad ejus tempus ignota fuerant (cf. Orellii indicem editionum Cic. p. 198), illam lectionem § 78 e codice a Peutingeriano diverso et paullo puriore fluxisse veri simillimum est. Immo conferentibus nobis alias varias lectiones Naugerii, quae ad has §§ 75—83 pertinent, omnes scrupuli evelluntur. Nam plures earum ita comparatae sunt, ut aut inganiose inventae aut codici alicui deberi putandae sint. Huc pertinet § 82, ubi Crat. „facere“ exhibet vocem non ferendam, Naugerius

vero una cum B, qui hunc locum affert, habet „facile“; quae vox aeque ferenda est ac Lambini conjectura „facete“, eaque re, quum codicum et scholiastae auctoritate nitatur, contra Kayserum et Klotzium praeferenda est. Deinde cf. § 83 Crat. „certa“, Naugerius recte „cetera“; § 79 Crat. male „municipii“; Naug. rectissime „mancipi“ § 77 Crat. „istas“, Naug. optime „justas“; § 78 Crat. „R. litterarumque Ciceronis“, Naug. minus mendose „recita litteras Q Ciceronis“, Mommsen recte „recita. Litterae Q. Ciceronis“, Denique § 76 Crat. habet „Igitur illi“; sed quamquam vocula „igitur“ interdum in initio enunciationis legitur (cf. Zumpt. Gr. lat. § 357), tamen corruptae editioni Crat. non obtemperandum esse editores recte intellexerunt. Itaque Kayserus ex Mommsenii conjectura edidit „isti igitur“ fortasse recte, nisi cum Naugerio scribendum est „isti igitur, isti“. Klotzii vero conjectura „tui igitur illi“, quamquam multum habet, quo defendatur, tamen ideo minus placet, quia neque Cratandrinae neque Naugerii auctoritate nititur. Quum vero in editione Cratandrina saepissime verba corrupte tradita sint et Naugerium codice puriore usum esse illis lectionibus allatis moveamur ut putemus, aliis quoque locis, ubi verba Cratandrinae defendi possunt, lectiones Naugerianas praeferendas esse censemus. Itaque cum Klotzio malimus Naugerio auctore scribi § 77 „ejus legione“ pro „illius legione“, eadem § „cum tibi per“ pro „cum per“, § 78 „aliter ac censuit“ pro „aliter censuit“, praesertim quum in enunciatione, quae huic loco respondens antea legitur, haec scripta sint: „aliud atque oportuit“ Nam etsi suspicari non desinimus, Naugerium codicem suum conjecturis emendare studuisse, tamen his tribus locis causam emendandi, si re vera ille verba Cratandrinae in codice suo invenerit, defuisse profitendum est. Cetera vero harum §§ 75—83 subsidia critica, in quibus primum locum editio Faerni (F) tenet, ad artem criticam exercendam parvo pondere esse editoribus non possumus non concedere. Nam ubi neque cum Crat. neque cum Naug. consentiunt, conjecturis aut felicibus aut infelicibus, tentati sunt. Veluti recte F. § 78 „faverunt“ in „fuerunt“, et § 81 „favisses“ in „fuisses“ mutavit, ceteris locis plerumque cum Naug. consentit.

Utrumque vero codicem, et Peutingerianum et Naugerianum, ex eodem vel simili fonte exhaustum esse documento est, quod § 78 verba, quae in B inveniuntur „in latentem“, omittunt. Quum enim et schol. B, ut supra exposuimus, auctoritate ceteros plerosque codices longe superet et verba illa facetias quasdam exprimant figura ὁμοιοτελεύτου ornatas, quales saepe apud Ciceronem inveniuntur, Kaysero, qui ea pro glossa habet, assentiri non possumus. Sed in vocabulo, quod sequitur „reum“ vitium latet. Namque non modo mirum est, quod schol. B hanc vocem, qua tota enunciatio finitur, non addidit, sed etiam ὁμοιοτέλευτον, quo vis facetiarum rhetorice augetur, hoc verbo sublatum est. Quibus causis jam Madvigius adductus esse videtur, ut scribendum esse conjiceret „in reum“, deletis verbis, quae sunt „Senatusconsultum et decretum Flacci“. Sed figura sermocinationis (Corn. IV. § 65), qua orator initio hujus paragraphi utitur, verbis quae sunt „in absentem“ (prioribus) finita esse videtur, quia ἰσόκωλα inter se respondentia desinunt. Praeterea non


est causa, cur illa verba a Madvigio deleta pro spuriis habeamus. Itaque probabilior Halmii conjectura est, qui scribi voluit „recita. Senatus consultum et decretum Flacci", aeque ac paullo infra jure ab editoribus receptum est „Recita. Litterae Q. Ciceronis".

Ut vero hac § 78, sic saepissime et in Crat. et a Naug. verba Ciceronis corrupte tradita sunt. Quorum locorum plurimi jam et ex B eisque scriptoribus, qui verba Ciceronis in operibus suis afferunt, et virorum doctorum conjecturis sanati sunt. Cf. app. crit. ad unamquamque §. Cur vero Kayserus § 76 „Pergameni" incluserit, explicare non potui. Neque enim supervacanea est illa vox, immo Pergameni, quum Deciani laudatores essent, cum vi quadam et acrimonia commemorantur. Contra fortasse recte vir ille doctissimus post verba quae sunt „solita sint" § 77 desiderat „a majoribus" vel tale quid; nam particula „nunc", quae legitur in altera enunciatione, in priore ad verbum aliquod contrarii sensus referatur necesse est. Deinde sententiarum nexus postulat, ut § 79 cum Lambino ante verbum, quod est „detulerunt", particulam „non" inseramus. Nam quum re vera Apollonidenses res suas ad Flaccum detulerant, id quod ex tota expositione, quae antecedit, intellegimus, tum omnes interrogationes, quae sequuntur, negativae sunt. Neque multum lucramur, si cum Klotzio verba sic interpungimus: „Quid? haec Apollonidenses occasione facta ad Flaccum detulerunt: apud Orbium acta non sunt? etc." Nam signum interrogationis post verbum, quod est „detulerunt", ponendum esse ex tota argumentationis ratione apparet. Tum offendimus in verbis, quae leguntur § 79 „mitto quod nullo jure neque in re neque in possessione tua". Quibus verbis eadem sententia continetur, quam antea expressam legimus his verbis „mitto quod aliena, mitto quod possessa per vim". Praeterea corrupte in Crat. sic tradita sunt „mitto quod nullo in jure neque re neque possessione tua". Itaque fortasse illa verba glossema sunt a librario aliquo additum ad explanandam sententiam eorum verborum, quae antea leguntur: „mitto quod aliena, mitto quod possessa per vim". Denique ex illo loco § 82, quem Madvigius recte emendavit et explicavit: „aut fortasse . . . . . . applicuisti' nondum omnes corruptelae evanuerunt. Nam vis verbi, quod est „fecisti", sententiae loci obstare videtur. Cicero enim Laelium fictis Deciani inimicitiis jam fecisse i. e. assecutum esse, ut se ex populi sermone exciperet, non potuit dicere, sed nihil aliud animo proposuisse potest, quam ut Laelium consilium ejus rei habuisse exprimeret. Itaque paucis litteris mutatis legendum est „aut fortasse id egisti, ut etc."

Jam restat, ut nonnulla addamus de fragmento Mediolanensi, quod in magnam illam orationis lacunam (inter cap. II et III) incidit. Quo in codice non inventi sunt nisi nonnulli errores librarii, ut „Molitae", „Loreni" pro „Tmolitae", „Lorymeni". Praeterea fortasse offendi potest in longissimo illo συναθροισμῷ verborum, quem continet haec enunciatio: „Quid? si neque tota . . . . derogabunt?" Nam haud pauca vocabula, quae in membris hujus loci accumulata sunt, tam simili sunt sensu, et eadem sententia tam multis verbis varie exprimitur et explanatur, ut figura haec rhetorica nimis affectata esse

videatur. Sed quum et Cicero ea fuerit dicendi ubertate, ut saepius tale vitium rhetoricum apud eum inveniamus, et fragmentum Mediolanense non solum vetustate ita excellat, ut verae interpolationis suspicione careat, sed etiam cum nullo alio fonte critico conferri possit, vix ratio invenietur, qua omniane illa verba Ciceronis fuerint necne dijudicetur. Itaque haec quaestio in medio relinquenda est.

Ex eis vero, quae supra disputavimus, hanc fere tabulam codicum notorum constituendam esse apparet:



I. Chronik der Schule.

1. Mit dem ablaufenden Schuljahre geht die fünfjährige Periode zu Ende, für welche zunächst das Bestehen des neu errichteten Gymnasiums durch das am 23. März d. J. 1867 vollzogene Statut gesichert gewesen ist. Die Stadt würde zur Wiederaufhebung der Anstalt vom 1. April d. J. an berechtigt gewesen sein, wenn sich die Erwartungen nicht erfüllt hätten, die man hinsichtlich ihrer raschen und gedeihlichen Entwickelung und der dadurch bedingten Steigerung der Jahres-Einnahmen hegen zu dürfen geglaubt hatte. Die Erfahrung hat jetzt den erfreulichen Beweis geliefert, daß die Hoffnungen, welche sich an die Erweiterung des früheren Progymnasiums zu einem Gymnasium knüpften, nicht unbegründet gewesen sind und daß die Lage und die Verhältnisse der Stadt Hameln ganz besonders günstig auf das Emporblühen der jungen Lehranstalt eingewirkt haben. Während das Gymnasium am 9. Mai 1867 mit 8 Classen und einer Zahl von 185 Schülern eröffnet wurde, hat sich dasselbe im Laufe der 5 Jahre seines Bestehens um 3 Classen vermehrt und zählt gegenwärtig bereits 320 Schüler. Diese bedeutende Zunahme der Frequenz hat es möglich gemacht, daß die Stadt allen übernommenen Verpflichtungen zu genügen im Stande gewesen ist, ohne neue Opfer aus städtischen Mitteln bringen zu müssen. An dem Fortbestand der Anstalt ist demnach nicht mehr zu zweifeln, und so Gott will, wird sie noch vielen kommenden Geschlechtern zum Segen gereichen.

2. In Folge des Beschlusses der städtischen Behörden, welcher mit dem Beginne dieses Schuljahres eine Realsecunda in's Leben rief und dadurch die so vielfach und dringend gewünschte Begründung einer höheren Bürgerschule anbahnte, sind große und mannigfaltige Veränderungen in der Organisation unserer Anstalt nothwendig geworden. Zunächst stellte sich die Richtigkeit der im vorjährigen Berichte ausgesprochenen Vermuthung heraus, daß die neuen Realclassen an Schülerzahl den entsprechenden Gymnasialclassen bald gleichkommen und dann von diesen in allen Stunden völlig zu trennen sein würden. Da die Zahl der Realschüler sofort zu Ostern von 19 auf 60 gestiegen war, zeigte sich die Unmöglichkeit, auch nur noch in einzelnen Stunden die beiden unteren Realclassen mit den gleichnamigen Gymnasialclassen zu vereinigen, während für die neu errichtete Realsecunda aus inneren Gründen Combinationen mit der Gymnasialsecunda nicht zuläßig erschienen. Wir würden für die so bedeutend vermehrte Stunden-